DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis quintâ mensis Januarii, Anno Domini M. DCC. LVIII.

M. LUDOVICO-JOANNE BAPTISTA COSNIER, Scholarum Professore, Doctore Medico, Præside.

An Rachitidi Rubia Tinctorum?

I.

NUMQUID sat multa vos, ô pueri, torquebant mala! Visum non illud superis, siquidem vestra novo, non ita pridem, morbi genere divexantur corpora. Eccui ignota sæva Rachitidis in infantes tyrannis? Milleni forsitan extant hâc ægritudine conflictati, qui vagitu, ploratûque Medicam opem efflagitant. Nata hæc medio ferè labente seculo decimo sexto, in Occidentalibus Angliæ tractibus (*a*) (in Comitatu scilicet *Dorset* & *Somerset*) primùm veluti sata, per totam dein exspatiata Angliam, omnibus Europeæ Borealis gentibus manus fert inimicas. Non cuivis ætati infesta hæc labes; qui nimirum sani vegetique vitæ biennium superarunt, sævitiem illius effugisse se gloriari fas est. Adultior hic morbus haud difficulter innotescit. Porrò hæc adjuncta habet signa. Caput videlicet solitò majus conspicitur, maximæ observantur articulorum protuberantiæ, subtumida adest abdominis inflatio, pars antica thoracis ad latera compressi in acutum desinens, navis carinam haud malè refert; nigrescunt cariosi dentes; costarum extrema, quibus cum sterno committuntur, exhibentur nodosa; nonnunquam incurvantur artus; semper horridâ macie absumuntur partes carnosæ, Verùm non

(*a*) *Gliss.* Tract. de Rach. p. 3.

ita liquidò conſtat de rachitidis primas radices agentis præſentia ; hujus tamen valida menti inducitur ſuſpicio à cutis mollitie, laxitate carnis muſculoſæ, facie magis floridâ, ingenio, quàm pro ætate, acutiore. Idem conjectatur in nondum incedentibus ex minore in riſus effuſione, vibratione artuum lentiori, calcitratione minùs feroci, & antecedente pedum tardiorem uſum loquelæ exercitio. Qui hoc affectu correptus, ambulare jam cœpit, infirmiùs incedit, vacillat, abſque adminiculo ſeſe ſuſtinere vix poteſt, motum quemlibet averſatur, nec niſi ſedens paribus geſtit colludere. Quid plura ? Ad motum præ debilitate fit ineptus (*b*).

(*b*) De his fuſiùs diſſeruit *Gliſſ.* Tract. de Rach. pag. 244 & ſeqq.

Oſſeis partibus propria hæc affectio, ex acida humorum craſi naſcitur; naturâ ſimilis præceſſit eam ac comitatur ſaburra internos ventriculi & inteſtinorum parietes obducens. Quid mirum ergò ſummâ ad reliquias hujus morbi deturbandas pollere efficaciâ Rubiam Tinctorum ?

I I.

EX Anatomicorum Obſervationibus ſubſtantia oſſium compactior, perinde ac capitum celluloſa, in rachitide emolleſcit (*a*). Acidam ergo humorum diatheſim in ea præpollere, nemo inficias ibit. Quid enim potentiùs, quàm acidus liquor, oſſa emollit ? Juxta Experimentum, quod à ſe tentatum mecum communicavit celeberrimus hujus ſcholæ Profeſſor *M. Petit*, ebur ſpiritui nitri immerſum emollitur, ac in gelatinam convertitur manibus tractabilem. Illud ipſum iteravi, & idem mihi compertum fuit. Quinimo dentis radices eodem nitri ſpiritu aquæ miſcelâ debilitato flexiles omnino fuerunt redditæ : (*b*) *Oſſa*, inquit percelebris Auctor, *acidis immerſa molleſcunt ; flexilia fiunt, pleraque alimenta ſunt aceſcentia, quorum indoles mutatur in ſano corpore ; quando verò hac vis immutans nimis debilis, non ſuperatur illa aceſcentia ingeſtorum ; tunc aliquando oſſa, cartilagines, flexilia redduntur ut in rachiticis.* Quânam verò in ætate magis infeſtat hæc ægritudo ? Infantulos afficit, quibus familiaris eduliorum facilè aceſcentium uſus ; deeſt bilis ad infringendam acidorum vim ſat efficax : eos inprimis labefactat, qui in ſella perforata uſque ſedentes, nullo moventur exercitio, cujus ope feliciùs perficiatur in ventriculo alimentorum digeſtio, craſſi comminuantur humores, ac perfectiùs elaborentur, jam ceſpitans in fibrarum interſtitiis excutiatur acido-ſeroſa colluvies, & omnimoda ejuſdem congeries naſcitura prævertatur. Ubinam ſævit hic morbus ? Imperium figit in ampliſſimis & vaſtiſſimis urbibus, quas alluit aër præ anguſtia vicorum, frequentium ædium altitudine impeditus, nec Solis radiis actus, nec leniter agitatus blando ventorum afflatu ; craſſis imò caminorum fumis, vaporibus fluminum denſiſſimis irretitus ; adeóque haud ineptus fovendæ ac excitandæ humorum acido-ſeroſæ diatheſi. Huic morbo demum ſunt obnoxii, qui ex parentibus lue venereâ olim, ſi non impræſentiarum, inquinatis, delicatiori & molliori vitæ deditis, & quocumque modo nimium exinanitis, procreantur. Quis autem acidam fermenti venerei indolem non ſapit ? An non laxa, vappida, effœta ac in acidum vergens meritò cenſetur progenitura, quam impendunt parentes exhauſti laboribus immodicis, turpi otio torpentes, & ſolis addicti menſæ deliciis ? Saburram acido-mucoſam in primis viis deliteſcere ſatis ſuperque probatur ex levante vomitu materiarum viſcidarum, ſimilibúſque dejectionibus, quas proritat neceſſaria emetici, vel cathartici exhibitio. Ibidem hoſpitari acida confirmat felicior abſorbentium uſus. Hinc ergo conſtat, *cum principiata principium redoleant*, ſanguinem è chylo in hac officina elaborato naſcentem acidis eſſe prægnantem.

(*a*) *Palfin* Anatom. Chirurgic. Edit. de 1753. tom. I. pag. 31.

(*b*) *Swiet.* Commentar. §. 69. tom. I. pag. 87.

I I I.

QUAM Miranda Summa Dei Providentia ! Is, cùm hominum exſtruxit corpora, numero multa morbis, quibus obnoxia ſunt, profligandis idonea diffudit medicamenta. Verùm, ut conſtet quodnam dato morbo competat remedii

genus, causas mali, medicamentorumque vires, quantum licet, perspectas habeat Medicus necesse est; quæ & ipsa de his dictitat Experientia, quandoque nosse juvat. Quænam autem indicatio in nostra hac ægritudine occurrat adimplenda, paucis expedire conabimur. Ex lento scilicet mucore tunicas obducente, pessumdari vires stomachi cuique patet. Crassescens repetito chyli viscidi, acidi, crassique affluxu sanguis in acidum vergit, in motu retardatur, hincque acido-serosi liquoris stasi, aut qualicumque exsudationi facilior præbetur ansa. Stagnat inprimis ille in ossibus, præ textura compactiori, vix perviis. Tum spicula acida sero innatantia (ceu spiritus vitrioli partes disjungit metallicas) motu quodam fluiditatis inter laminulas osseas intruduntur, prima fortassis illarum elementa parumper diducunt, & expeditiorem viam sternunt seroso humori, quo tota ossium compages imbuta mollescit, intumescit laxata. Mira ergo in hac edomanda præstabit pharmacum, virtute incidente, diureticâ præditum, quodque vim pecuGliarem in ossa exerere Observatio docuerit. Numquid enim illius efficaciâ dividentur ac diffringentur compedes viscosæ, quibus intricantur sanguinis moleculæ; motus ejusdem circulatorius augebitur; excutietur illuvies, quâ madent osseæ partes, acido-serosa; ipsa in circulationis alveum reducta per renes & cutem foràs amandabitur; sicque ultimo effectu emendabitur acida humorum diathesis? Incisorium quippe medicamen partibus constat tenuissimis, mobilibus, durissimis, & acie instructis acutâ; quæ quidem nisu contractivo cordis, vi arteriarum oscillatoriâ propulsæ, exilissimos capillarium surculos præ tenuitate subeunt, in sanguinis lentiùs moti moleculas irruentes, eas duritie comminuunt, & acie quâ sunt instructæ, discerpunt, quin efficaci stimulo fibras irritando refocillant, frequentiores ac validiores earum oscillationes exsuscitant; unde auctior sanguinis motus, perfectior humorum subactio, largior diuresis, & certior acido-serosi liquoris in prima venarum capillamenta resorptio, cui denuo succedit uberior per omnia incernicula liquidi noxii effluxus. Non proinde in cavum ventriculi viscosus depluit liquor, qui, nonnisi violentâ fibrarum contractione à superficie interna everrendus, digestioni officit.

I V.

RUBIA Tinctorum sativa radice oblongâ, intus & exus rubicundâ, saporisque terreo astringentis, caules habet longos, quadratos, nodosos, tactûque asperos, quorum ex nodo quolibet erumpunt folia sex vel quinque oblonga, lata, caulem stellatim ambientia, villis hirsuta, in limbo crenata, dum ramorum pediculis innixorum extremitatibus flores innascuntur. Meatus obstructos referat, pellit urinas, crassos humores attenuando, abstergendo viscidos, collapsas stomachi vires reficere potest. Hasce virtutes illi à Natura fuisse inditas profitentur omnes ferè, qui de Re Herbaria scripserunt, Auctores (*a*). Nonne eam præterea quinque radicibus aperientibus minoribus annumerari passim legitur? *Glissonius* etiamnum remedia, quæ directè rachitidem impugnant, recensendo hanc ipsam addit (*b*). Ipse assentitur *Mayow* (*c*), curativam ejusdem Auctoris Methodum proponendo. Experimentis item viri præclaro civis nomine illustrandi (*d*) clarè evincitur, illius esse tenuitatis, quâ strictioris texturæ partes penetrare ac immutare queat, cùm ossa ex continuo illius usu rubro inficiantur colore. Hisce rationibus permoti asserere haud dubitamus multùm ad debellandam rachitidem conferre Rubiam Tinctorum. Nec nos fallit rerum eventus; plurimi namque hoc affectu laborantes, hujus medicamenti beneficio ad perfectam rediere sanitatem; in suis etiam de Arte Obstetricia Prælectionibus tamquam eximium commendat ejusdem plantæ usum celeberrimus *Petit*. Jam toties dicti remedii præstantiâ nuperrimè, suadente vigilantissimo hujus Facultatis Decano *M. Boyer*, à crusta lactea liberata fuit junior puella, quod arguit tenellæ infantum ætati amicam esse Rubiam Tinctorum.

(*a*) *Sennert.* Operum Tom. I. pag. 555. Edit. *in-fol.* Confer. *Cartheuser.* Fundament. Mater. Medic. Sect. XIII. §. III. Tom. II. pag. 432.

(*b*) Tract. de Rachit. pag. 345.

(*c*) Tract. de Rachit.

(*d*) *M. Duhamel*, Mém. de l'Acad. des Sciences, an. 1739. p. 1, & suiv.

V.

VENENUM est, non medicamen, inquiunt, planta hæc nostra, utpote quæ corpora non immutet, sed destruat; tenerrimos enim, quibus villosa ventriculi tunica tendinosæ incumbenti connectitur, nexus solvit, ita ut, observante *Domino Duhamel*, illa quasi sphacelo correpta abscedat. Ossa quoque frangibilia magis reddit. Hæc, quæ nobis objiciuntur, sententiam nostram minùs infirmare ex infrà dicendis patebit.

Non mirum quidem, quòd tales præstiterit effectus Rubia Tinctorum majori copiâ ad pullorum nutritionem, nec refractâ dosi medicamenti titulo exhibita. Nonne præter hæc pulverata columbis exhibebatur pastæ immixta; unde certiùs tunicæ adhærescebat, & ductus obturabat tenuissimos, quibus pertusa est interior hæc membrana? Nos verò sub decocti forma facilè labentis eam proponimus. Ad hæc, medicamenta eum in finem exhibemus, ut præsens tollatur, futura præcaveatur perversa corporis dispositio. Squalido subinde corpori ac sicco, laxantia humectantiâve admovemus, & vice-versâ. At mediæ justæque temperiei homo, calidis, siccantibus remediis utens, sicci temperamenti vitia contrahit. Siccati quippe humores, fluidissimâ parte difflatâ compacti ac densati, in ultimis arteriarum rigidiorum finibus hærebunt immeabiles, unde nascentur febres ardentes, oppilationes, inflammationes, suppurationes, gangræna. Non ampliùs, ut antea, tenui rore madentes ipsæ partes osseæ siccabuntur, atque instar salicis rami siccati leviori nisu frangentur. Quantò magis metuenda ab eorumdem usu in siccis jam hominibus pessima hæc mala! Perperam quidem agit, qui, absque prægressis diluentibus, quorum ope nimis stricta irritabiliaque relaxentur solida, & scirrhescens materia impacta in mollius magma convertatur, viscera obstructa reserare satagit potentioribus citò adhibitis in solida forma aperientibus medicamentis. Sana autem exstitisse pullorum plantâ nostrâ nutritorum corpora verosimillimum; eorumdem stricturam velut invictè probat constanter in illis observanda, nisi saginentur, partium omnium macies. Quid ergo vos tantopere inanis torquet metus, ne sic labefactet corpora rachitica Rubia Tinctorum? Numquid in illis exsuperat colluvies acido-seroso-mucosa? maxima deprehenditur ossium mollities.

Ergo Rachitidi Rubia Tinctorum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré.
M. Antonius Petit, Chirurgiæ Gallico idiomate Professor.
M. Stephanus-Pourfour du Petit.
M. Paschasius Borie.
M. Florentius-Carolus Bellot, Professor Regius.
M. Ludovicus Pathiot.
M. Ludovicus-Renatus Desbois.
M. Carolus-Ludovicus Liger.
M. Joannes-Stephanus Guettard, Regiarum Academiarum Parisiensis & Florentinæ Socius, Censor Regius, & Historiæ Naturalis Musæi Serenissimi Ducis Aurelianensium Custos.

Proponebat Parisiis MARINUS-JACOBUS-CLARUS ROBERT, Doctor Medicus Cadomensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A.R.S.H. 1758, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typogr. 1758.